

audentia, capitali periculo subi[u]getur. Nec quisquam duritiam statui putet, cum in promptu adsit per fugium declinandi periculi modestiae ob-servantia. [E]idem autem periculo etiam ille subdetur, qui comparandi cupiditate avaritia[e] distrahentis contra statuta consenserit. Ab [e]iusmodi quoque noxa [i]nmunis nec ille praestavitur, qui habens [s]pecies victui adque usui necessarias post hoc st[at]u[t]i temperamentum exist[ui]maverit subtrahendas; cum poena vel gravior e[s]se debeat inferentis paenuriam quam contra stat[ui]ta quatientis. Cohortamur ergo omnium devotionem, ut res constituta ex commodo publico benignis obsequis et debita reli-gione [custodia]tur, m[ax]ime cum e[ui]s modi statuto non civitatibus sin-gulis ac populis adque provinciis, sed universo orbi provisum esse videatur, in cuius pe[r]nicem pauci atmodum desaevisse noscantur, quorum avaritiam nec prol[ix]itas temporum nec divitiae, quibus studuisse cernuntur, [miti]gare aut satiare potuerunt.

[Quae pr]etia [in singularum rerum venditionibus ex]cedere nemini licitum sit, [hic i]nfra oste[nditur].

*Edicti Diocletiani et collegarum de pretiis rerum, memorati ab auctore de morti. persec. c. 7 et in fastis Idatianis ad a. 302, lapidi incisa adhuc reperta sunt exempla tria, unum in Aegypto (unde a. 1807 Aquas Sextias translatum est), alterum Stratoniceae in Caria (ubi extat loco antiquo in pariete aedificii mar-morei, fortasse curiae antiquae), tertium Plataeis (primum descriptum a. 1889, American journal of archaeology vol. 5 1889 p. 450 seq.), nullum plenum, exordio cum nominibus imperatorum extante in solo exemplo Aegyptiaco, sine (cf. not. 11) servato in solo Stratonicensi. Qui edicto adhaerebat recensens specierum omnis generis cum pretiis statutis, videtur lapidi incisis passim propositus esse in oppidis Orientis; certe locis non minus tredecim adhuc prodierunt frustula eius modo Latine scripti, modo Graece versi. Frustula haec composuerunt et suppleverunt Mommsen Berichte der sächs. Gesellsch. d. Wiss. 1851 p. 4 seq. cum commentario; Waddington ad Lebasii iter archaeologium III n. 555 p. 145 seq., item cum commen-tario; denuo Mommsen C. III p. 804 seq. (idem fragmenta postea reperta recensuit et commentario nonnulla addidit Herm. vol. 25 1890 p. 17 seq.). Hic placuit repetere ex Mommseni editione partes edicti potiores (adhibito exemplo nuper reperto Pla-taensi). — 1) Plenissimum exemplum vocabulorum quae sibi imposuerant Diocle-tianus collegaeque sub finem imperii communis. In reliquis titulis horum imperatorum qui extant tantum non omnibus series illa nominum breviata est (etiam in N. 640 cf. not. 1); diploma militare (X 1113), in quo item fuerunt nomina illa plena, mutilum est et male descriptum; item male descriptus titulus Aegyptiacus C. I. Gr. 4892; sed conferendus est titulus soli Diocletiano positus X 5545. De tempore singularum appellationum coniecturas Wilmansii (ex. 1064) non repeto. — 2) A. 301. — 3) Consul septimum fuit Diocletianus a. 299 una cum Maximiano sextum. — 4) Hic numerus fortasse hac ratione est explicandus. Diocletianus cum primum post acceptum imperium, nuntiata victoria de Germanis vel de Britannis, appellatus esset Germanicus maximus vel Britannicus maximus, simul appellari coepit impe-rator iterum; hoc modo si aequaliter processerunt appellationes adsumptae propter bella feliciter patrata et imperatoriae acclamationes, harum numerus eo tempore, quo hic titulus positus est, esse debebat, ut est, XVIII. — 5) Quod Germanicus maximus quantum dicitur Maximianus, non sextum, ut Diocletianus, hac re videtur*